

Q. 527, 27 X1903463

B. m. II

II n
9502

DE VITA ET MORTE

Reverendi & Clarissimi Viri

Dn. M. JACOBI VVE-
RENBERGIJ THEO-
LOGI ET PHILOSOPHI
eximij

PASTORIS IN INCLY-
TA HAMBVRGO ADD. MA-
RIÆ MAGDALENÆ
& Gymnafij

Profefloris digniffimi & meritiff.

ORATIO SCRIPTA

ab

HENRICO VAGETIO

LUNÆBURGI.

Typis ANDRÆ MICHAELIS Typogr.

ANNO MDCXXV.

3. M. II. 492

1777

DE VITA ET MORTE

Remondig Clavus

D. M. A. C. O. R. I. V. V. E.

R. E. N. N. B. E. R. G. H. T. H. E. O.

L. O. G. I. E. T. P. H. I. L. O. S. O. P. H. I.

EXIMII

L. A. S. T. O. R. I. S. M. I. N. I. O. P. Y.

L. A. H. A. M. B. U. R. G. I. A. M.



H. E. N. R. I. C. O. V. A. G. E. T. I. O.


L. I. N. E. B. U. R. G.

L. I. N. E. B. U. R. G. I. A. M.

A. N. N. O. M. D. C. L. X. V.

tu
in
ca
la
m
ta
m
re
po
m
co
fu
p
et
ni
g





Uanquam honestè fa-
 ctis veritas sufficit, fortesq; & sapien-
 tes viri non tam præmia sequi rectè fa-
 ctorum solent, quam ipsa rectè facta, tamen quo-
 tusquisque est paulò erectioris animi, cujus nihil
 interfit, an iis quæ honestè fecisse se credit, testifi-
 catio quædam quasi præmium accedat, quique
 laboribus susceptis periculisque aditis non quasi
 mercedem rerum gestarum desideret gloriam? I-
 taque ut quisque est optimus, ita non tantum id
 maximè agit, id cogitat, in eo laborat, ut rumo-
 rem bonum colligat, omniumque, quantum fieri
 potest, hominum bona quadam existimatione sit
 munitus, sed etiam id obstinatè operam dat, ut
 collectam post fata famam conservet, nomenque
 suum posteritati commendet. Qui serunt arbores,
 quæ alteri seculo profint, quid spectant aliud, nisi
 etiam postera sæcula ad se pertinere? Inhæret e-
 nim in mentibus quasi sæculorum quoddam au-
 gurium futurorum, idque in maximis ingeniis al-
 tissi-

*Cic. lib. 1.
 Tuscul.
 quest.*



tissimisque animis & existit maximè & apparet
facilimè. Quo circa omnes, qui magnum aliquid
memorandumque fecerunt, non modo veniâ, ve-
rum etiam laude dignissimos Judicant sapientes,
si immortalitatem, quam meruere, sectantur.
Quod si opifices etiam post mortem nobilitari
volunt, quod de Phidia sui similem speciem in-
cludente in clypeo Minervæ, cum inscribere no-
men non liceret, memoriæ proditum est, & quo-
rum nullum exstat memorabile & vera laude di-
gnum facinus, quiq; in rei familiaris augendæ stu-
dio totas ætates contriverunt, illorum sive hære-
des sive propinqui ita sunt animati, ut ipsorum
memoriæ etiam vitâ defunctorum insignibus se-
pulcrorum monumentis consulendum arbitren-
tur, quantò magis virtute, ingenio, & optimis arti-
bus meritisque præstantium virorum laudem ab
oblivione hominum atque à silentio vindicare
debemus. Eorum in numero Jure meritò repo-
nendus est M Jacobus Werenbergius vir, dum fa-
ta Deusq; sinebant, eruditionis eximiæ & vitæ in-
culpatae, qui cum, inter homines dum erat, viam
sibi ad immortalitatem muniverit, eoque pacto
vitam in terris exegerit, ne iisdem finibus nomen
suum, quibus vita terminaretur, a nobis hoc offi-
cium quasi jure suo postulare videtur, ut demor-
tui

tui memoriae quasi debitum munus exsolvamur.
Ac ego quidem optarem cuivis potius quam mi-
hi hoc negotium datum esse, qui eorum, qui hoc
mihi munus assignarunt, nec auctoritatem asper-
nari, nec voluntati refragari honestè potui, quo-
rum & amicitia & benignitas eripuit mihi in op-
tima mea causa libertatem recusandi: eoque plus
veniae merebitur hæc nostra commentatio, in
qua qui nitorem & cultum verborum, dignam-
que eo, quem ornamus, elegantiam requirat, ei
me facile excusabit inquieta hæc & desultoria
vita, in qua Bibliothecæ oberrantis hæctenus &
exulantis, & rei familiaris reliquias tanquam è
naufragio tabulas dum colligo, mirum videri ne-
mini debet, si minus politâ oratione tamen vicem
referre defuncti meritis aggressus sim, gratâ recor-
datione, quod maximum benefactis pretium est.

Habent sibi hunc morem ferè, qui præstan-
tium virorum memoriae honorem habere vo-
lunt, ut in patriam eorum omnium primò inquirant,
& ab ea, si lauta & gloriosa contigerit, splendorem
& commendationem, ei, quem laudandum susceperunt,
mutuentur: quam consuetudinem ne nunc quidem negligendam,
aut insuper habendam censeo: neque quia ignobilior
ea est, quam ut ad augendam Werenbergii digni-

dignitatem quicquam conferre possit, ideò sine
omni plane mentione eam transmittemus: neque
tamen ignoramus: Non ubi prognatus, ut Apu-
leij verbis utar, sed uti moratus quisque sit spe-
ctandum, nec qua regione sed qua ratione vitam
vivere inierit, considerandum. Themistoclem
ferunt Seriphio cuidam in iurgio respondi-
sse, cum ille dixisset, non cum sua sed patriæ glo-
ria splendorem affectū, nec herclè, inquit, si ego
Seriphius essem, ignobilis, nec si tu Atheniensis
esses, clarus unquam fuisses. Quod si, ut amplissi-
ma cuique & ornatissima patria contigit, ita inge-
nio & virtute cæteris ipse præstaret, nec Melitides
Atheniensis fatuus, nec sapiens fuisset Anachar-
sis Schyta. Fuit igiturnatus Werenbergius Anno
à nato Christo 1582 tertio Idus Januarias Trojæ
Hollatorum, utroque parente Hamburgensi, pa-
tre quidem Iacobo ejus loci Ecclesiaste, matre
Anna Mejera. Patre verò Hamburgum in patriam
ad suscipiendum munus Ecclesiasticum in æde
D. Petri evocato una istuc & familia omnis & hic
Iacobus filius abductus est, in quo cum indolem
industriæ pater & ingenij quandam excellentiam
deprehendisset, iis animum ipsius litteris, quas æ-
tas tenera ferre posset, primum erudiit, ac subin-
de prodeuntibus annis in disciplinam cum ejus-
modi

Cic-Cat
Mej.

1582.

modi magistris tradidit, quorum sub cura doctio-
rem fore putabat, & meliorem, ibique tum ille &
exercendi stilum scribendique rationem suo ex-
emplo sulcitare, & studio industriaque singulari
cùm sibi favorem caritatemque multorum con-
ciliare, tum animos æqualium ad bonas literas ar-
tesque majore assiduitate & diligentia colendas
impellere. Mihi quidem transacta jam & decursa,
primæ adolescentiæ meæ tempora recordatione
revocanti in mentem venit eorum sermonum,
qui jam tùm (eodem enim in ludo docti fuimus-
quanquam aliquot ipse annorum adeòque clas-
sium intervallo me post se relinqueret) de ipso e-
rant, grati sane & digni eo, qui studeret sese coeter-
is æqualibus suis & condiscipulis præstare. Fis-
enim etiam in illo adolescentium cætu, ut si qui-
sive ingenio, sive memoria, sive discendi cupiditate
inter alios emineat, in illum reliquorum oculi
coniiciantur, eorumque animi in admirationem
nonnullam rapiantur, id quod ad excitanda dis-
centium ingenia valet plurimum, qui cum do-
leant, alios evolasse, se relinqui, ad eorum Virtu-
tem, quos occupasse possessionem laudis animad-
vertunt, æmulandam, eò acrius accenduntur. Eos
jam progressus in scholis trivialibus fecerat We-
renbergius, ut dignum illum & parentes, & qui-
bus

Et. 17.
bus operam hæcenus dederat, præceptores judi-
carent, qui ad uberiorem ingenii cultum capien-
dum ad Academias ablegaretur. Agebat tùm æta-
tis annum decimum septimum, poteratque videri
iis, quibus ingenium ejus & in bonis literis profe-
ctus erat ignotus, ob ætatis teneritudinem & con-
siliî imbecillitatem, quæ adolescentiæ inest ma-
xima, nondum idoneus, qui gravioribus illis stu-
diis imbueretur; nisi parentes & rectè sentientes
prudentesque homines in consilium adhiben-
tes, & rectâ secum ipsi rem viâ reputantes ingenii
adolescentis quam ætatis cursum celeriore ad-
juvandum potius quam reprimendum censuis-
sent. Porro quemadmodum non videntur domi-
diutiùs atque apud suos detinendi, quorum ætas
eâ diligentia disciplinâque munita est, ut cum fru-
ctu Academias adire possint, ita non minimi pe-
riculi res est, eos adolescentes, quibus recta insti-
tutio & justa cultura defuit, ad sublimiores dis-
ciplinas imbibendas aliò transmigrare, nondum
cognitis iis præceptis, sine quibus inanis est in-
progredu labor, & stultum studium. Objur-
gatione autem digni sunt parentes illi, qui, cum
affatim illis suppetat, quod in liberos rectè atque
ordine erudiendos impendant, nihil tamen ha-
bent antiquius, quam ut nummos coacervent, li-
beris-

berisque patrimonium amplificent, de progressu eorum in bonis artibus adeò non solliciti, ut opinionem aut Equisonem pluris, quam bonum præceptorem conducant, quorum sane intemptiva & præpostera parsimonia sæpenumerò miserorum filiorum fortunas ita conturbat, ut rem impeditam & perditam restituere parentes cum velint, non possint. Florebat ea tempestate viris præstantissimis Academia Julia, eratque etiam me multum adolescente in magno nomine & gloria, quam illi eximius favor Illustriss. Principis, nihil omnium rerum, quæ ad augendam illam atque omnibus modis ornandam pertinere videbantur, prætermittentis, concilia verat: in hanc ille missus cum esset, rectè cum animo suo recoleus, quem in locum & quâ gratiâ deductus esset, omnem suam operam ac curam ad liberalia studia contulit, tanto ardore ac impetu, ut nihil sibi ad summam industriam ac diligentiam reliqui faceret. Cæterùm cum vehementer ad suas rationes pertinere putaret, nullam in persequendo studiorum cursu viam insistere, nisi ab exercitato & perito duce monstratam, in primisque philosophicarum disciplinarum penitùs atque plenè cognoscendarum mirifico studio flagraret, ad Casellii Duncani, Luchtenii, Cornelii, at quorum viro-

B

rum!

rum! qui & ipsi excitabant plurimorum studia,
& eruditæ doctrinæ famâ suum nomen & Juliam
Academiam illustrabant, cognitionem aditum
sibi fecit, eosque non tantum è superiore loco
docentes studiosè atque attentè audivit, sed e-
tiam in interiorem ab iis amicitiam admissus, de
eorum consilio in ea studia, in quæ toto animo
atque impetu ferebatur, incubuit: quorum vi-
rorum Caselii præsertim & Cornelii, (nam reli-
qui aliquantò ante, quam ego Academias adi-
rem, diem suum obierunt) cum cæperit esse
mentio, equidem à me impetrare non possum,
ut sine honore eam transmittam, quod in sum-
mo illo eruditionis fastigio omnes tamen comi-
tatis numeros obierint, nec à quoquam, qui fa-
miliaritatis causam quæreret, desiderari suam
passi sint humanitatem. Sanè illius, qui optimè
de literis meritus anno ab hinc decimo è vita ex-
cessit, quod mihi Witebergâ excurrenti salutari-
di & aliquot dierum consuetudine jucundissimâ
fruendi copia facta sit, non sine summa volu-
ptate recordor: qui ab ineunte adolescentia in vi-
rorum præstantium familiaritatem me dare con-
cupiverim, eamque studiis meis & ornamento
& præsidio futuram animum induxerim. Cor-
nelius & Theologus & Philosophus excellen-
tiss.

tissimus, arque ut rem in pauca conferam, vir
summus in maximarum rerum scientia, quicquid
contra blateret Malignitas & Invidia, duos an-
nos factum est, cum rebus humanis excessit.
Cujus equidem viri, quem immortalem, si fie-
ri posset, omnes boni esse cuperent, mors non mi-
hi tantum acerbissima est, ob summam, quâ
me complectebatur, benevolentiam, sed etiam
moerorem ac luctum gravissimum attulit om-
nibus iis, qui salvam cupiunt rem litterariam,
intelliguntque, quantam ipsius obitu illa plagam
acceperit. Receperunt illi adolescentem sum-
mæ spei summæ indolis non tantum non grava-
tim, sed etiam libenter, conatusque ejus ad soli-
dam eruditionem grassantis vel ea re adjuve-
runt; ne deessent, qui barbarorum & novato-
rum, quorum nulla non ætas ad oppugnandam
veritatem maximum proventum attulit, per-
niciosis molitionibus sese opponerent, audaci-
amque eorum comprimerent. Atque horum
sub cura eas ille progressiones fecit, ut non le-
viter Philosophicis literis tinctus, sed ita imbutus
atque instructus redderetur, ut quæ tum do-
mesticâ industriâ adsecutus erat, tum pulcher-
rimè à doctissimis illis ac sapientissimis viris
tradita memoriâ ac scientiâ comprehenderat,

iis tam ad asserendam veritatem, quam profligandas falsas opiniones erroresque exterminandos ubi & quotiescunque opus esset, uteretur. Cum primis verò sibi, nec sibi tantum, sed omnibus, quotquot eodem studio tenerentur, philosophicarum disciplinarum cognitionem necessariam futuram arbitrabatur: Nam qui ea cassi in Theologis tamen nomen suum profiteri audebant, similes esse iis aiebat,

Qui cum sibi semitam non saperent, aliis monstrarent viam.

Longèque aliter sentiebat, quam plerique, qui cum ad S. S. Theologiæ studium animum appellere se cum constituerint, simul atque Academias contigerunt, philosophicis literis vel planè abjectis vel leviter degustatis in eo nervos atatis industriæque suæ contendunt, ut verba ad populum facere discant, atque id ita faciunt, nulla ut re alia ad id, quod animo proposuerunt, consequendum, opus esse putent: Sed paululū ab his digressi ad Werenbergium nostrum revertamur, qui cum triennium liberalibus studiis pertinaciter deditus in Acad. Julia confecisset. Witebergensem etiam Theologis Hunnio, Rungio, Mylio, Gesnero tum maximè, celebrem de voluntate parentum adiit: ac tametsi undique quandam
scien-

scientiæ quasi possessionem occuparet, & non
tam laudem venaretur, quam usum sibi fructum-
que cognitionis acquireret: ad Theologiæ tamen
studium maximè propensa fuit ipsius cupiditas,
quod religiosæ pietatis amore flagraret, sententiâ
hac confirmatâ in puero paternâ maternaque e-
ducatione atque disciplinâ: adeoque magnâ ani-
mi contentione in Theologiam incubuit, cum
tamen nihilominus coleret liberales & ingenuas
artes, easque omnibus modis augetet & ornaret:
cumque in rem suam esse putaret, consuetudine
quotidiana & sermone familiari frui ejus qui in i-
sta arte, quam proram & puppim studiorû suorum
facere cogitabat, excelleret, ad amicitiam Gesne-
ri totum se contulit, ejusque tecto & convictu ut
reciperetur, facilè impetravit, eamque intra breve
tempus sacrarum literarum scientiam sibi com-
paravit, ut & sanæ doctrinæ veritatem adserere, &
falsitatis convincere adversarios egregiè posset.
Memini, cum Wittebergæ studiorum causâ vive-
rem, quosdam eorum, qui ibidem loci cum ipso
versati erant, cum in eum sermonem delabere-
mur, referre: frequentem habuisse domum suam
Gesnerum nobilibus aliisque honesto loco natis
adolescentibus, eos solitos esse nonnunquam in-
ter prandendum, & cænantium ut sit, de quæstio-

nibus Theologicis in contrariam partem disputare, quod alii quidem faciunt, ut ingenii famam aucupentur, alii, quod reverà ita sentiant, ut qui de more gentis suæ educati atque edocti quam opinionem de religionis capitibus in prima ætate imbiberunt, ab ea ne in adulta quidem discedant, facit enim diversitas locorum, in quibus nati sunt, opinionum quoque magnam varietatem: nonnulli eo sunt ingenio, ut palmarium se reperisse arbitrentur, si disputationum ac interrogationum laqueis irretitum tenere possint insignem aliquem Ss. Theologiæ Doctorem, ejusque se victores passim jactare; Cum finis non fieret controversiarum, de quibus disceptaretur, Gesnerum non quidem confectum sed defatigatum, ut qui unus omnium telis excipiendis sufficere sine molestia non posset, vices suas Werenbergio demandasse, quas quidem ille sic impleverit, ut nec dubitationis quicquam, & admirationis multum in animis ipsorum relinqueret. Cæterùm cum omnis in Philosophiam & Theologiam collatæ curæ atque operæ testimonium publicæ vocis, quod Magistri titulum vocant, biennium ferè in Academia Witebergensi commoratus peteret, illud non tantum inperitum est illi facilè, sed tale impe-

impe-

impertitum est, ut in confesso esset omnibus,
non perfunctoriè ipsum in omnibus ingenuis
artibus esse versatum, sed ita ut unus è multis
excelleret. Nam cum maximâ ferè studio-
forum frequentiam præ cæteris Germaniæ Aca-
demiis celebretur Witebergensis, atque ea de
causa candidati Philosophiæ eodem tempo-
re Apollinari laurea donandi nunquam non
numero multi sint, tantæ dignationis est habi-
tus, ut inter omnes ejus temporis competito-
res princeps illi locus de communi totius con-
fessus Academici sententia assignatus sit. Quod
si prima sequentem in secundis tertiisque con-
sistere honestum, quantò præclarior, nemi-
nem habere dignitatis gradu superiorem, qui
virtute & meritis non habet. Ex omnibus
autem præmiis virtutis, Cicero testatur, si sit
habenda ratio præmiorum, amplissimum esse
præmium gloriam. Hanc ille laudem & lau-
ream cum adsecutus esset, nequaquam consi-
stendum, aut de pristina vivendi consuetudine
industriæque ardore quicquam remittendum du-
xit, quod nonnulli faciunt, qui ut opinionem tan-
tum alicujus in literis nominis præbeant, quæ ha-
bent speciem gloriæ collecta ex inanissimis splen-
doris

*Orat. pro
Milone.*

doris insignibus, studiosè ea sectantur, idq; unum
agitant, ut secundam existimationem quibuscun-
que lenociniis colligant, quam ubi se adeptos esse
arbitrantur, titulo collato tanquam Orci galea se
defendunt, ac de progrediendo non magis cogi-
tant, quam ii qui decurso jam spacio à carceribus
ad calcem pervenerunt. Longè aliter animatus
fuit Werenbergius noster, qui, simul atque Ma-
gisterii honore decoratus est, cum eadem opera
pro more Academiarum potestas ipsi data esset
legendi ac disputandi publicè ac privatim, nequa-
quam desidix in ocio operam dedit, sed in qui-
bus multum erat studiosèque versatus, Philoso-
phicarum disciplinarum etiam eos participes fa-
cere voluit, quos iis studiis teneri deprehendebat,
nullaque adeo Philosophiæ pars neque tam diffi-
cilis neque tam operosa ipsi visa est, quam non
auditoribus suis traderet, legendoque ac dispu-
tando illustraret, præsertim cum statim à facta
privatim ac publicè docendi potestate in Philo-
sophicæ Facultatis collegium cooptatus, ejusque
Adjunctus nuncupatus esset.

Retulerunt mihi, qui Witebergæ & noverant
eum familiaris & docentem audiverant, cum
plures eodem tempore Philosophiæ adjuncti pro
le quisque in commune, Juventutem erudiendo,
pro-

prodesse; quod ego in nullius contumeliam dictum velim, Werenbergium ad tantam famam dignationemque docendo pervenisse, ut primæ inter omnes sine controversia ipsi deferrentur. Taubmanum lanè memorabant iidem, cum sæpius is è publico loco de rebus gravissimis differenti maxima cum voluptate auscultasset, non dubitasse profiteri: nequaquam tam percursum animo ac decantatum suum se Virgilium habere, quam Werenbergius suam haberet Metaphysicam. Nec prætereundum videtur, in tanta eum apud Hutterum existimatione fuisse, ut quoties is in publicis disputationibus ad opponendum ipsum invitaret, aut contrà disputantem pugnaret, Præstantissimum eum Magistrum, quem titulum nemini facilè ejus ordinis ac loci Magistro tribueret, subinde appellitaret. Contulerat se circa idem tempus Witebergam M. Lippius, cujus nomen ob Musicæ artis scientiam magna apud omnes gloria fuisse tradunt, cum & ipse nobilis cantator fidibus esset, ut alios alia delectant, neq; earundem omnes rerum studiis ducimur. Is igitur cum disputatione Musica proposita, ubi isti agitandæ ac ventilandæ dies dictus comparuisset, in summa cathedra constitisset, Professoresq;, quod sui putarent esse in exercendo & ornando

C

col-

collegio officii, id fecissent, è studiosorum numero, si quis haberet, quod in medium afferret, invitasse aliquos dicitur. licum disputationem de iis rebus, quæ minùs tractatæ aut cognitæ ipsis essent, ferè defugerent, pauciq; adeò aut nulli cum Agonotheta congregari auderent, Werenbergium ajunt ex pridiano convivio, cui in multam noctem protracto adhibitus erat, adhuc marcidum, cum pauxillum priùs ipse secum meditatus esset, progressum, ac deficientibus qui in contrariam partem disputarent, noluisse honori Præsidis desse, ingressumq; & tribus in conflictu cum Lippio horis consumtis & dubiam ipsi palmam fecisse, & magnam ab omnibus gratiam iniisse. Tam acris studio tantoque labore ac industria addiscendù, dum quidem Witebergæ viveret, cum se dedidisse accepimus, ut ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinqueret. Itaq; cum post cænam ad somnum se dedisset, mox aut non longo post mediam noctem intervallo surrexisse, quod diceret concoctione jam tum factâ, integrum se ad studia, nullâ valetudini vi factâ, redire posse. Quam eandem consuetudinem rationemque Philippi Melancthonis fuisse memoriæ proditum est, qui & omnes scriptiones & commentationes cæterasq; res vel saltem præcipuas matutina operâ per-

ra perfecerit. Atq; is persuasum se habere de se ip-
se testatur, nullâ re aliâ magis valetudinem suam
conservari, quam eâ, quod paulò post cenam dor-
mitum sese conferret. Negat enim attinere, si pri-
mo quispiam somno benè consopitus quiescat,
utrum interruptum recuperet, nec nè.

*Explicat.
Evangelij
Domini.
17. post
Trinitat.
vid. Po-
stilla Me-
lancthon.
a Pezelio
edita.*

Sed hæc de Werenbergii vitæ cursu, quem in
Academiis & extrâ patriam tenuit, dixisse suffi-
ciat, si priùs Elogium, quo Witeberga disceden-
tem Senior & Doctores Facultatis Theologiæ
profecuti sunt, adjecero.

SENIOR ET DOCTORES
FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN ACADEMIA WITEBER-
gensi.

ID testari nos ipsa jubet veritas, toto hoc septem-
nio, quo ipsius conversatione uti nobis conces-
sum fuit, eam in ipso eluxisse, singularem divinæ
gratiæ vim, qua nihil in futuro Theologo ad *puri-
tatem in doctrina sincerius*, nihil ad integritatem mo-
rum candoremque animi honestius, nihil deniq;
ad pacem & concordiam tranquillius exoptari
poterat. Postquam enim honores in Philosophia
summos, quos Magisterium appellitant, cum lau-
de & dignitate adsecutus est, non suo se jam pla-
nè defunctum esse officio existimavit: sed vi-

res ingenii, quod ipsi Deus tribuit acerrimum,
tùm in sanioris Philosophiæ, tum solidioris Theo-
logiæ investigationem ita intendit, ut nihil labo-
ri, nihil studio, nihil ardori omni fecerit reliqui,
quo ad comparandam eruditionem Philosopho
& Theologo eximio dignam contendere poterat.
Nec sanè frustrata est ipsum opera in utroque isto
studiorum genere posita. Sic enim continuè me-
ditando, auscultando, differendo, disputando, &
studia dies noctesque volutando, id tandem di-
vino beneficio consecutus est, ut tum de sublimi-
oribus in Philosophia quæstionibus, tum de gra-
vissimis in religione controversiis judicaret gra-
viter, accuratè differeret, disputaret promptissi-
mè, neque errorum vel priscorum vel neotericor-
um esset quicquam, quod aciem mentis ipsius
effugeret, & quod in conflictu disputationis ipse
non felicissimè refelleret. Horum donorum usu
ne diutius res Christiana fraudaretur, omnibus
modis præparandus esse visus fuit, quibus ad fun-
ctiones publicas subeundas, illustrandamque sa-
niores Philosophiam & puriorem Theologiam
accessus posset ei fieri expeditior. Proinde in Am-
plissimo philosophorum ordine, hac quidem no-
strâ in Academiâ, locus ipsi honestissimus assigna-
tus fuit: quem quâ fide, industriâ, autoritate, non
tamen

eam tenuerit, quam exornarit, nempe maximam,
universa hæc nostra testabitur Academia: imò te-
stabitur bene multa operarum ac disputatio-
num monumenta, quæ apud nos magnam cum no-
minis sui *ἱεροσημασία* reliquit. Quid de donis illis
docendi pro suggestu Ecclesiastico dicamus!
quæ profectò in utroque templo nostro ita nobis
& universis auditoribus probavit, ut nemo non
Ecclesiæ DEI de tali viro vel maximè gratulare-
tur. *In primis verò veritatem doctrina celestis, & Sacro-
sanctum beatissimi Patris nostri Martini Lutheri deposti-
tum, Symbolum item Augustana Confessionis, prima illius,
minimeq; variata, ut & concordia sanctissima Formulam
ita asseruit, defendit, propugnavit, ut de orthodoxis laude
nemini non esset commendatissimus.* Unde factum,
ut Spectatissimus vir Dominus ANDRÆAS
BEHAMUS NORICUS, Cum de inspectore,
viro industrio, Erudito, Orthodoxo, Alum-
nis suis apud nos præficiendo cogitaret, hunc
potissimum M. Werenbergium ipsis præfecerit.
Quam etiam provinciam triennio integro tantam
fide, pietate, prudentiam administravit. ut majore
vix quisquam potuerit &c. Scriptum & Sigillo
collegii nostri publico confirmatum pridie Mar-
tini Turonensis Episcopi, cui erat.

Unus amor Christus, Christus timor, omnia
Christus Anno Gratia 1609. Witebergæ.

TRanseo nunc ad Ecclesiasticum munus,
quod illi assignatum est decimo anno post,
quam ad Academias migrasset, cum quintum
jam annum Magister artium fuisset. Conci-
taverat eam apud omnes eruditionis suæ opi-
nionem Werenbergius in sua patria, ut etiam
in vulgus ea exiret atque emanaret, passimque
per ora populi jaclaretur, quam frequentes
ille & fructuosas Witebergæ scholas privatas
habuisset: nec quisquam erat tam perversi
ac præposteri iudicii, qui non æquissimum pu-
taret, ipsius in deferendo honore præ cæteris
rationem haberi, qui & civis esset nequaquam
pænitendus, & benè meriti Ecclesiastæ filius,
& in artium studiis liberalissimis doctrinisque
versatissimus. Cæperat autem circa id tem-
pus non citrà mortis periculum ægrotare pater
VVerenbergii vir & officii laboribus & ætate
confectus. Is itaque de filii prosperitate, ut
bonum & liberorum amantem patrem decet,
sollicitus, seriò cogitare cepit, quâ ratione, si
quid sibi accideret, depositam provinciam hæ-
reditatis loco filio traderet: Cumque ea de re
per internuntios ad eos, penes quos ejus rei po-
testas erat, retulisset, facilè ab hominibus æquita-
tis &

tis & iusticiæ tenacissimis, quod voluit, impe-
travit; qui tametsi id operam non dedisset, ta-
men curatores templi satis constat, non ita fasti-
dio quodam & satietate ab suæ civitatis inge-
niis abalienatos fuisse, ut iis contemptis ac pro
nihilò habitis de externo accersendo unicè la-
borarent. Cum primis verò favisse laudi ac feli-
citati ipsius cognitus est templi illius Archiju-
ratus vir optimæ memoriæ Lucas Becmannus,
qui cum ob gravitatem, prudentiam, fidem ac
integritatem apud omnes benè audiit, tum ma-
gnam ex ea re laudem apud bonos & rectè sen-
tientes adeptus est, quod in tribuendis honori-
bus & civium præ ceteris rationem habendam,
& non oportere deteriorem esse conditionem
domesticæ & spectatæ virtutis quam transmari-
næ & incognitæ contenderet. Hunc itaque Bec-
mannum habuit & amatorem admiratoremque
eruditionis suæ, & laudis existimationisque suæ
fautorem & buccinatorem. Quod tametsi Pater
non ignorabat, tamen, quod ne hoc quidem nef-
ciret, non esse in unius arbitrio omnia, paratam
esse mortuorum oblivionem, ac rectè sentien-
tium patriæque & civium amantium voluntati
ab hominibus & novis & novitatis cupidis
non tantum resisti sæpe, sed eam etiam sinistris
& ini-

& iniquis malevolorum sermonibus nonnunquam aliorum flecti, in lubrico versari noluit. Itaque cum ii, ad quos illius quidem administrationis cura pertinebat, quod ab ipsis æquitas exigebat, id facere statutum haberent, de communi sententia Witeberga ipsum harum rerum penè omnium ignarum Hamburgum vocant ad suscipiendum munus in æde Petrina Ecclesiasticum: quo Witebergâ discedens, legitimæque vocationi morem gerens multis ibi tum desiderium, tum memoriam sui præclaram reliquit, non obscure significantibus: Superiori illum dignitatis gradu fuisse dignissimum, qui jam tum non sine maximo fructu in Academiis juventutem sacris disciplinis informare posset. Hamburgum cum venisset, celeriter consecutus est favorem & admirationem omnium, caputque templum illud, in quo populum informandi partes ipsi assignatæ sunt, mirabiliter tunc celebrari & frequentari. Nam & vox illi suppetebat non injucunda, & facultate in dicendo copiaque valebat, & sapiebant conciones ipsius eruditionem non quidem sublimem illam & à populi sensu intelligentiaq; remotam, sed eam quæ ad captum auditorum esset directæ & accommodata. Cum quartum jam annum Ecclesiasten in æde Petrina egisset, Gymnasium ea
in ci-

In civitate constitutum est, cujus qui Professores
essent, partim aliunde advocati, partim ii electi,
qui jam Ecclesiasticis muneribus fungebantur
ob perspectam linguarum principum & philoso-
phicarum rerum scientiam, quâ cum præ cæteris,
ut ante jam dictum est, ipsum instructum esse
constaret, visaque causa non esset, cur eo neglecto
ad alium transiretur, Methaphysicę & logicę
Professor designatus & nuncupatus; ac sub idem
ferè tempus è Sacellano ædis Petrinę Pastor ad
D. Marię Magdalenę creatus, & in demortui lo-
cum successus est: In utroq; sanè officio, quorum
alterum tanti momenti erat, ut integrum homi-
nem requireret, talem se gessit, ut neutri deesset.
Qui conciones habentem audiverunt, mecum
relatari possunt, quam seriò istam rem egerit, quan-
tâque cum animi & corporis contentione non
tantum mores exorbitantium correxerit, ac pec-
cata reprehenderit, sed & in viam eos reducere
conatus sit; neque id ita faciebat, ut gratioris soni
voluptate audientium animos expleret, aut sua-
viloquentię singularis famam apud populum ca-
ptaret, sed, ubi saluberrimis suis præceptis & ad-
monitionibus locum relinquere sentiret, præclare
secum agi, eumque se fructum sui laboris capere
honestissimum judicabat. In vitiis aliorum inse-

D. Sig. Stan-

Etandis eam moderationem præscriptionemq; te-
nebat, ut nec asperè quippiam ac acerbè dixisse,
nec sub affectibus animū habuisse vel minimam
suspicionem cuiquam moveret. Nam cum omnis
reprehensio contumelia vacare debeat, tum in
primis ab hoc loco tam venerabili abesse eam o-
portere statuebat. Ac ne sic quidem & professorii,
& Ecclesiastici muneris laboribus distentus ita do-
mi desedit, ut non in commune consulere, & quā
plurimis prodesse: suas utilitates præ publicis du-
ceret in minimis. Itaq; in Theologicis quidem A-
nalyfin librorum Bellarmini de verbo DEI in
publicum dedit, simulq; coronam Evangelicam,
sive sextuplicem Evangeliorum Dominicalium
enarrationem & explicationem literis mandavit:
In Philosophicis Gymnasmata Logica in Univer-
sam Philippi Melancthonis Dialecticam: Excerci-
tationes Logicas & Metaphysicas: Exercitationes
Apodicticas, admonitionesq; de Dialectica Rami
& alia nonnulla emisit, publiciq; juris fecit: Inter
hæc nihilò minus lectionibus & disputationibus
publicis vacabat, neq; adolescentium animos re-
ctissimis tantum studiis & disciplinis informabat,
atq; ad eas omni cura atq; industria capessendas
inflammabat, sed de nobilissimis in Philosophia
questionibus cum collegis acutè nonnunquam
& graviter copiosèq; diserebat. Quod si novos

quosdam homines rudes agminum, nec satis accuratè calculum ponentes considerantesque,

Quid valeant humeri, quid ferre recusent

In arenā descendendi & congregandi pro lubiū subiret, cum ociosis & periculi expertibus esse licuisset, ita eos excipiebat, ut galeatos serò duelli pæniteret, neque facile deinceps in aciem produci sese paterentur: quod meminissent, quam nequam commode & ex sententia in conflictu habitū fuissent: neque enim dissimulabat in eiusmodi adversarios non veris sed ludicris sese armis pugnare, neque ira sed misericordia dignos eos iudicare, quantumvis tristem illi natura & Pædagogi vultum de industria efferarent, crediq; vellent suo supercilio tanquam Atlante cælum, sic rem scholasticam niti.

Sed ut eò revertamur unde huc declinavit oratio, quoniam de studiis ac doctrina Werenbergii hætenus verborum quantum satis est, fecisse videmur, in vita qualē se & consuetudine quotidiana præstiterit, quibusque moribus fuerit jam videamus. Quanquam autem magni consilii atq; artis est, attestante Q. Cicerone, in tot hominum vitiis tantisq; versantē vitare offensionē, vitare fabulā, vitare insidias, esse unum hominē accommodatū ad tantam morum ac sermonū ac voluntatum varietatem nec fieri ulla ratione potest, ut omnibus ex æquo placeat uniuscujusq; vivendi ratio, tamē

quò altiorem quisque civitatis gradum occupa-
vit, eò impensius ipsi laborandum est, ut sapienter
vitam instituat. Quod si civitatis principum
splendor facit, ut peccare sine summo Reipub. de-
trimento ac periculo non possint, quantò magis,
qui Ecclesiastici ordinis facti sunt, quorumque
est hoc munus, ut ad virtutes Christiano homine
dignas alios cohortentur, exemplo illis esse de-
bent ad imitandum. Legem enim sibi indicunt
innocentiæ, continentiae, virtutumque omnium,
qui ab altero rationem vitæ reposcunt. Nam, ut
Ciceronis verbis hoc efferam, qui sibi hoc sump-
sit, ut corrigat mores aliorum ac peccata repre-
hendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab re-
ligione officii declinarit? Satis autem constat,
quam multorum oculis vita ipsorum observetur,
quamque non in mores tantum & actus, sed ver-
ba quoque eorum diligentissimè inquiratur: tum
si tantulum offensum titubatumq; sit, nemo non
exemplum se habere, quo exemplo sibi liceat
idem facere, quod illi fecerunt, putat. Itaque cum
hactenus non tantum à rerum turpitudine abfu-
isset, sed etiam à verborum licentia ita se se junxi-
set, nullum ut in vita vestigium libidinis suæ appa-
reret, ne vel peccandi occasione, vel sinistris de-
se aliorum sermonibus locum daret, ad matri-
mo-

monium capeffendum animum adjecit, duxitq;
do mum annò ferè post, quàm munus suum sus-
cepit Mariam Rever. & CL. viri Domini Salomo-
nis Gesneri Theologiae Doctoris & in Academia
Witebergensi Professoris filiam, cujus mores
quod ex domestica consuetudine perspecti ipsi
essent & explorati, observato Hesiodi præcepto,
qui jubet è proximo peti sociam & vitæ confor-
tem, dubii eventus fortunam subire noluit. Nec
fefellit opinionem ejus lectissima virgo, quæ be-
nè pudicèque educata usque ab adolescentia a-
deòq; ex optimâ disciplina profecta, ex quo cum
iplo nupta est, semper illum, quod honestam ma-
tronam decebat, coluit, diligentissimèque obser-
vavit, adeòque concorditer cum ipso & amore
mutuo ipsos tredecim annos vixit, septemque ex
illo liberos, masculi sexus tres, quatuor sequioris
suscepit, quorum tribus præpostero nature ordi-
ne denatis, qui superstites sunt, summa diligentia
à matre piissima, & non ignarâ, quantum in pri-
ma educatione momenti situm sit, ad pietatem
& virtutis studium condocerunt, ad cujus gra-
vissimum dolorem, quem ex dulcissimi fratris
M. Pauli Gesneri in inclyta Lunæburgo Pastoris
paulò ante fato functi obitu cepit, hic multò
etiã acerbior ex optimi mariti insperata morte:

D 3

Sau-

haustus cum accesserit, verum esse deprehendi-
mus Senecæ illud : Finis alterius mali
Gradus est futuri.

Non omittendum videtur, quam adversum &
gravem casū expertus sit paucis post annis, quam
matrimonium inivit: Vix infantia annos egressa
erat filia ipsius natu maxima Anna, cum mulier-
cula quadam, quæ gerula fortasse antea puellæ
fuerat, per familiaritatis speciem & verborum
blandimentis, & quibus tantula ætas capi solet,
munusculis ludibunda ab ædibus paternis aut vi-
cinis plecta extra urbem abducitur, ac spoliata,
qua vestes forte astrictas habebat, catenula ar-
gentea, in loco longiore à parentum ædibus inter-
vallo remoto collocata destituitur, lacrymis, cum
aliud non posset, & raptum luum & quo eam af-
fectam fuisse credibile est, parentum desiderium
conquesta. Num quicquam a grius parentum ani-
mis accidere potuerit hac calamitate rectius quã
ego judicare possunt, qui liberos & procrearunt,
& ardentur eos diligunt: Incredibile est, quanta
solicitudine de salute filia fuerint parentes, quam-
tamque in eam curam diligentiamque contule-
rint suspicantes à Christiani sanguinis insidiatori-
bus è proximo ad cædem raptam. Pater ipse non
tantum circá omnes angulos quovis precio con-
du-

ductos plurimos scrutatum mittere, sed ipsemet
etiam sudore madens ac diffuens omnes plateas
perreptare visus est, nec finem querendi facere,
aut quietum animum habere, quam suburbano
quodam praedio receptam esse comperto viden-
dae illius copia ipsi facta esset. Pietatem ille,
ad cuius studium cohortari suos auditores dili-
genter solebat, pura & integra mente colere, re-
cteque & honeste curriculum vivendi a natura
datum conficere, personamque quam gerebat,
ita populo probare, ut, quod Caesar a suis exige-
bat, non crimine tantum, sed ejus etiam suspicio-
ne careret, nec obscure praese ferre, Quicumque
vitam doctrinae non consentaneam agerent, ni-
hilò minori odio sibi esse, quam Macedoni Phi-
losopho fuerint illi, qui cum Philosophos se cre-
di vellent tamen in quo alios objurgarent, id ip-
si imitarentur, de quibus hunc Pacuvii verbum
recitare eum solitum tradit Gellius:

Lib. 13.

N. A. c. 8.

Ego odi homines ignava opera, & philoso-
pha sententia.

Ingenio erat comi, liberali & humano ad
gratificandum: Aetate & dignitate superiores
studiosè observabat & celebrabat. aequalibusq; sua
officia in familiaritatis suavissimo usu praestabat,
non oblitus Syracidis illud: **Quantò superiores
sumus,**

sumus, tantò submissiùs nos geramus. Mirum
autem in eo fuit serviendi aliorum commodis
studium, obsequiumque suum in promptu esse
cunctis voluit, iis præsertim quos propter suam
impotentiam negligi & adversariorum opibus ac
potentia premi videret, quibusque in causæ suæ
æquitate parum præsidii erat. Pro horum ille re
vigilabat, eorumque se acrem defensorem osten
debat, injuriamque ab iis quâ poterat, propulsa
bat, neq; dubitabat in illorum gratiam invidiam
aliquam subire: Cum vi opprimi in bona causa
melius esse putaret, quam malæ cedere. In primis
verò verbi divini ministrorum viduarum & libe
rorum saluti consulere, singularemque illis bene
volentiam præstitisse cognitus est. Novi ego, quæ
multum debere se ipsi hoc nomine fatebantur, vi
duas honestas, quod accuratissimè se suamque
causam tutatus esset, neque laborem tantum ob
suum negotium capere, sed molestiam etiam dif
ficultatemque suscipere sustinuisset. Quo quidem
ex studio non officii solum fructum, sed pietatis
etiam laudem sibi comparavit. Me quidem, quem
ob amicorum, qui verè meæ saluti faverent, pau
citatem, injuriæ opportunum videbat, non tan
tum consilio fideli sæpe adjuvit, sed etiam de com
modis ac ornamentis meis toto animo cogitare
á me

à me perspectus est. Vehementer autem sibi displicere ostendebat eos, qui cum propter auctoritatem, quâ valerent, in tutandis viduarum causis multum possent, facile paterentur eas negligi, & neque incommodis earum seriò afficerentur, neque levissima perficiundi negotii difficultate proposita, voluntati ac studio illarum servire animum inducerent.

Quartum jam annum in demandata sibi functione Pastoralis & Professoria agebat, cum ab universa Academia Witebergensi Professor Theologiæ nominatus est ad Electorem Saxoniam unâ cum Doctore Hunnio & M. Jacobo Martini, ut ex tribus hisce, (verba sunt primarii ejusdem facultatis Theologiæ Professoris) eligeret Serenissimus Elector, per quem locus obitu D. Hutteri evacuatus in collegio Theologico compleretur. Atque hæc non ex ejusdem tantum Hutteri literis, sed etiam publicis Academiae librariis edoceri posse intelligo. Hutterum sanè constat, tanto ipsum amore prosecutum esse, ut non absentem memoria tantum coleret, desideriumq; tam chari capitis literis mittendis accipiendisque leniret, sed reditum etiam ad sese Witebergam vehementer desideraret. Quò factum ut sæpe collegam ipsum, sæpe successorem in literis ad Amicos datis

E

opta-

optaret. Ac erat quidem ille patriæ amans, & quicquid aut ingenio aut industria posset, ad eam ornandam & amplificandam conferri æquum esse putabat, sic tamen, ut æquissimo animo cariturus eadem videretur, si novitatis amore insanientem domesticæ & sub eodem cælo natæ virtutis tædere deprehendisset.

Inter hæc afflictæ valetudinis multas nec dubias significationes dedit, ad quam porro labefactandam non parum attulisse adjumenti putatur inopinatus obitus M. Pauli Gesneri uxoris ejus fratris. Nam quæ cum conjunctissimè hæctenus ita vixisset, nihil ut illorum familiaritate fieri posset conjunctius, eum à se non sine gravissimo atque acerbissimo dolore divelli mirandum non est. Intervallo enim locorum quanquam inter se disjuncti erant, tamen multis sæpe congressibus aviditatem desiderii implebant, & se invicem perfruebantur. Atque hoc gravius mortem affinis tulit, quò ardentius & constantius & ipsum amarat, & ab eo se amari cognoverat. Auctus igitur hac ægrimonia morbus adeò invaluit, ut & lecto ipsum affligeret & in hydropem desineret. Non destitit ille quidem omnes vias persequi, quibus morbum depelli posse putabat, neq; non nullam in medicorum arte atque fidelitate recuperandæ
sani-

sanitatis spem collocavit : ubi tamen ad exitum
vitæ se vocari sensit, & spe & cupiditate diutur-
nioris vitæ abjecta, totum se divini Numinis ar-
bitrio permisit, donec augescentis morbi magni-
tudine oppressus merito & obedientia Filii D E I
Servatoris nostri subnixus placidè mortem obiit
Anno ætatis quadragiesimo & secundo, quarto
Kal. Febr. Anno Dominicę nativitatis MDCXXII.

Hæc ferè habui, quæ de vita & morte præ-
stantissimi quondam Werenbergii literis & me-
morix mandarem, qui vivus & superstes non illi
tantum ordini, cui adscriptus fuit, sed universæ
etiã civitati Hamburgensi ornamento fuit : quod
cò plures mecum fatebuntur, quò pauciores repe-
riri deprehenderint, quibus nec arma nec animus
ad defendendam propugnandamque veritatem
desint. Quemadmodum autem omnibus iis, qui-
bus veræ virtutis & solidæ eruditionis studium
curę cordiq; est, mortē Werenbergii acerbam ef-
se dubium non est : Ita illos, quibus semper aliena
eruditio suspecta & virtus formidolosa est, in ve-
rè doctorum discessu invitis oculis lacrymas ef-
fundere non mirabimur, illud tamen persuasissi-
mum habentes; ut cunque nostra judicia maligni-
tas & invidia tardaverit, verum aliquan-
do posteros esse dictu-

ros.

E 2

Non

IN OBITUM REVERENDI ET CLARISSIMI VI-
RI D. M. JACOBI WERENBERGII. PASTORIS AD M.
Magdalenam & Professoris Gymnasii Fide-
lissimi.

Non omnis moritur, cuius post funera virtus
Vivit, & à tumulo pervolat ora virum,
Te IACOBE quidem sanctum Libitina recondit
Parte tenus, matrem qua repetivit humum,
Vndeeducta fuit quondam, mens aetheris alti
Incola degenerem spernit & odit humum:
Vivis & in scriptis CLADI Victoribus, & quæ
In sacros fidei semina spargis agros.
Accedit pietas & sedula cura VAGETI
Lethæusque vetat mersa perire vadis,
Dum calamo genium condit moresq; disertis;
Sensit condentem Livor & ingemuit?
Felicis! patriam Invisit uterque docendo,
Alterius letum vita duobus erit.

Joannes HufWedelius Academiae Ro-
stochiensis Professor Publicus. F.

II.

Blessenûm genitor patrum natale revisens
Post peregrinatûs lustra quaterna solum,
Dante DEO invidiae spoliis ditatus opimis,
Servitio, armentis, lanigerûm gregibus;
Dum pergens fratrem adversum formidat Esavum
In formidandum venit agonis opus.
Namque æterna Patris Virtus superi atque potestas,
Indatura hominem, persistet ut esse DEUS,
Robustâ referens athletæ habitudine formam,
Provocat ad luctæ certa pericla virum.
Jamque lacertorum nexu hinc atque inde valentum
Occupat; & victum Marte volutet humi;
Ile nisi obnixus membrorum mole torosâ,
Pancratico fortis robore luctam obeat.

Tran

Tractus uterque trahit, quassus quatit, incubus urget:
 Urgetur pectus pectore, pesque pede.
 Turbida commoto stat circum e pulvere nubes:
 Roscida nox donec luce fugante fugit.
 Fallor an hæc Christum cuiusque colentis imago est?
 An tua Wernbergi mysta verende DEI?
 Quem fato sibi raptum Ecclesia luget acerbo:
 Ubertim lacrymis ora decora rigans.
 Factus enim à teneris genio ingenioque potenti
 Doctrinarum axes scandere multijuges;
 Ut mentem solido studia ad graviora paratu
 Instruxisti, morumque arte probatâ animum!
 Existi peregre linquens natalia rura,
 Nereus Albiacas quâ subit hospes aquas.
 Existi peregrè mercatus doctus ad amplos,
 Ut tibi rem Sophiæ doctior amplifices.
 Dix Helmaestadium rationis acumina format
 Ad docet in VERI se illatebrare adytum.
 His reclusa patent mysteria cuncta Lycæi
 Quæ bene distinctis condita sunt spatiis:
 Dum vigiles ducit tua lucubratio noctes:
 Versat & assiduâ lecta, relecta manu.
 Blanda replet pectus Latiaris flumine linguæ,
 Et vim flexanimi Suada dat eloquii.
 Collustrat Pietas divino lumine mentem:
 Cui domitus sancta lege cupido subest.
 Dotibus his auctum acceptat Mons Albus ad Albim:
 Et meritæ laurûs cingit honore caput.
 Quin mox adjungit socium sacer ordo sophorum:
 Adjunctique magis elaret honore tui.
 Disciplinarum folum sic sedulus orbem
 Perlustras Logices vera probante face.
 Scita juvat veterum scitu præclara tueri?
 Vindice Te sciolim dogmata vana ruunt.
 Augusta articulos defendere religionis?
 Vindice Te hæreseon computruere theses.

Intonat inde bonæ VVernbergum buccina famæ
 Clara per Eoas Hesperiasque plagas.
 Quam te doctorem cupida retinere iuventæ
 Vellent Leucoræ pulpita celsa scholæ.
 Patria sed contra doctorem Ecclesia poscit,
 Doctrinâ ac studiis perfruitura tuis.
 Gambrivium ergo redis virtutum divite censu,
 Eloquio & rerum cognitione potens.
 Nunquid ut alta quies te vitæ tradat inertî?
 Mortis habet speciem vita labore carens,
 Cum tamen uni set quod agat satis una palæstra,
 Ingenio datur haud una palæstræ tuo.
 Tanto te pressum exercet luctamine Christus:
 Curet ut hinc populo commoda multa suo.
 Cælica verba docens certas tecum ipse docendo:
 Doctiloquo pendens concio ab ore stupet?
 Ore illo florum fecundo suaviter halantum:
 Irriguus sacro fonte quod hortus erat,
 Unde Evangelicæ fertæ decus ambiit annum,
 Illud sextuplici plectile flore decus.
 Quid memorem scholico sudans in pulvere quantâ
 Vi foedam institeris frangere barbariem?
 Ut Sophiæ auderet Musis exculta iuventus
 Exsuperare altum te præiuste jugum.
 Quid? tibi quod nec priva indulges otia: tanti est
 Sarta Evangelicæ prodere jura fide
 Ne volucres noctis, puras mentita columbas
 Turba, impune nigrum virus ab ore vomant,
 Atque ita dum noctuque diuque instans tibi, res ut
 Sit maneat que urges, publica salva DEI;
 Corporis imbelles nimis hei, minuiscere vires:
 Epar & ingenuo fomite destitui.
 Quid tandem? ô dolor, ô luctus, tentamen ab arte
 Omne Machaontâ nil valet, ut valeas.
 Vertebram Isacidæ femorista tangendo DEUS vir
 Luxat: luxatus coxat & ille femur,

Tu

Tu quoque jam luctæ multo languore fatiscens
 Tangeris à Christo sic Jácobe DEO,
 Tangeris æternæ requiem tibi pacis anhelans :
 Corpore uti claudat vita soluta tuo,
 Quid lamenta juvant, lacrymæ, lugubria ? si mors
 Ista tibi duro est vera ab agone quies,
 Felix, qui studia & curas & tempora vitæ
 Et cunctas animi impendere promus opes,
 Sancta tuis potuit veluitque Ecclesia rebus,
 Hunc pretium impensæ gloria viva manet,
 Quæ cælo cum te faciat terraque perennem,
 Eja athleta DEI salve & ave atque vale.

*Amatino desideratissimo mcerens faciebat Bernhar-
 dus Meserus Hofjatus, Et Pastor Haffnensis.*

III.

ΔΥΣΛΟΓΙΣΜΟΣ ΑΔΕΛΦΙΚΟΣ

Quod vita meditabor iter, mi mellee frater,
 Quod sequar aut fugiam ? quadruplicata via est,
 Anne voluptatum, vitæ ut radia frangam,
 Me lenocinis desidiaque dabo ?
 Indigus haud mercis pluvii aut Iovis, accola Nili
 Humanam indigitans, ut monet, effigiem ?
 Indulge genio, fuge curam, exporrige frontem,
 Hoc scœnus vitæ, hinc fiebile funus eris.
 Thesaurosne legam, fulgentis & aris acervos,
 Hoc satagam rutilos strangulet arca DEOS.
 Sacri jura fori venalia, templa seholeque,
 Sint fortunati dummodo tiberuli.
 Auri pone famem sese comes addet honorum :
 Odero pontificem nomine, venè sequar ?
 Splendida nempe decus, laus, nomen, adorea res sunt,
 Elatos acunt exaguantque viros,
 Intento stuan animo impallescere chartis
 Nocturnis libitum, fruge Cleanthis, erit ?

Me-

04
117
9502

Metiar an phœbi radio phœbesque labores:
Cur celer hybernis solibus insit iter
Tangendi oceanum, quanam mora noctibus obsit
Tardi gradus, mibi num querere delictum?
Denique virtutem nit arne extendere factis:
Et pulcrum patricæ rebor amore mori?
Hæc mage conciliant vitam Germane beatam,
Orphana deliciis, orphana divitiis.
Vive DEO, spartam quam nactus alacriter orna,
Exemplarque alius integritatis eris.
Virtutem dignâ se dote amplectere nudam,
Sordibus à mundi premia nulla ferens.
Despice res mundi sunt gaudia plena doloris,
Plena laboris opes, plena timoris honos.
Cui nihil in vitâ vitâ jucundius usquam est,
Virtutis vitam vivere nemo potest?
Sis patiens, vivum quamvis pigrilumbus asellus,
Te malè mordicibus, mortuum hyææa petat.
Immeritus quicquid patere, exantlare memento:
Calvus haud veniens plaga dolenda venit.
Aspice Christum oculis fidei meritoq; beari
Solus satagas, expetitoque frui
Navorum veniam gemebundo poscno corde,
Hostibus ignoscas, fratribus a que iuis.
Verba DEI reverenter habe, mensâ utere sacrâ,
Et benè sic vives, & moriere benè.
Sicque DEI mecum sophiâ & bonitate frueris,
Victrices palmas in manibusque feres.

Beatis manibus optimi & desideratiss-
simi Fratris, amoris ergo
à
BERNHARDO VVERENBERGIO, F.

F I N I S.

1107

Q. 527, 27

B. m. II

II n
9502

Dn. M
REN
LOG

VE-
E O.

PAST
TA HA
RI

CLY-
MA
Æ

Professo
O

eritif.

HEN

TIO

Typis A N

ypogr.

